MARQUARDUS SPRENGER. HENRICUS DE HASSIA
Melk (?), 2. Drittel 15. Jh. Seite 1v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=40433
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Prologus operis sequentis

Qui me elucidant vitam eternam habebunt dicit divina sapientia. Ut tantam gratiam invenissem in oculis domini ut sapientiam suam possem aliquantulum elucidare et vitam eternam possidere. Propterea invoco deum omnipotentem sine cuius auxilio nullum rite fundatur exordium ut emittat sapientiam suam de sede magnitudinis sue ut mecum sit et mecum laboret ad elucidandam sapientiam ut sciam quid acceptum quid verum quid sentiendum quid affirmandum quid ve negandum sit de ipsa divina sapientia coram ipsa omni tempore. In cuius pietate et auxilio confisus traditurus aliquas elucidationes mistice theologie hoc opusculum in tres partes distinguo. In quarum prima per distinctiones aliquas et descriptiones precedentes mentem meam de theologia mistica explanabo. In secunda vero parte quid divinus dyonisius de mistica theologia sensisse videatur prout divina sapientia donaverit elucidabo. In tercia parte cum plurimis elucidationibus divine sapientie quedam dicta hugonis de palma discutiendo tractabo. Prima pars continet duodecim capitula que sequuntur.

Capitula prime partis

1 Ponit quasdam generales distinctiones
2 Ponit distinctiones speciales magis descendendo ad suum propositum
3 Probat esse aliquam theologiam affectus seu amoris
4 Infert duo correlaria
5 Descendit ad practicam ponendo unam cautelam
6 Ponit aliam cautelam
7 De acquisitione divini amoris
8 Tractat de facilitate theologiarum et introducit plures modos contemplandi quos comparat modo amatorio
9 Tractat de preciositate theologiarum
10 Incipit tractare de theologia mistica
11 Descendit specialius ad theologiam misticam exercitatorum in operibus virtutum et pietate et in bonis affectionibus
12 Ostendit quod non est distinctio realis inter theologiam misticam contemplativorum et theologiam misticam amatorum confirmat id et porro ex dictis

Bonare

Sequitur tractatus elucidationum mistice theologie marquardi sprenger magistri artium studii wien